

MISSÆ PROPRIÆ


DICECESIS AQUISGRANENSIS

A S. RITUUM CONGREGATIONE APPROBATAE  
DIE 21 NOVEMBRIS 1931

JUSSU ET AUCTORITATE

EXCELLENTISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI  
JOSEPHI VOGT  
EPISCOPI AQUISGRANENSIS

EDITÆ



RATISBONÆ

SUMPTIBUS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET  
S. SEDIS APOSTOLICÆ ET S. RITUUM CONGREGATIONIS TYPOGRAPHI

# SACRA CONGREGATIO RITUUM

Aquisgranen.

No. A 84/931

**A**quisgranensis diœcesis noviter erecta Proprio officiorum et Missarum ditanda erat: qua de causa Excellentissimus Pater Dominus Josephus Vogt, Episcopus Aquisgranensis, accitis viris in liturgica scientia apprime peritis, summa diligentia textum, compositum ex officiis pro Archidioceesi Coloniensi, cui usque adhuc diœcesis Aquisgranensis unita erat et pro ipsa civitate Aquisgranensi approbatum, nec non ex antiquissimis documentis e libris historicis et liturgicis exaratum Sacrae huic Rituum Congregationi pro approbatione et concessione devotissime subjicit. Quum vero Sacra Rituum Congregatio Proprium exhibitum a se revisum et emendatum prouti in superiori prostat exemplari probari posse censuerit, eadem Sacra Congregatio vigore facultatum sibi a Sanctissimo Domino Nostro tributarum supradictum Proprium Officiorum et Missarum benigne pro recitatione approbare dignata est, illudque ab universo Clero Aquisgranensis dicœses amodo adhibendum indulxit, servatis decretis Sacrae Rituum Congregationis et nominatim declaratione diei 28 Aprilis 1914. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 21 Novembris 1931

Sign. C. Card. Laurenti

S. R. C. Præfектus

L. S.

A. Carinci S. R. C. Secretarius

---

## APPROBATIO

Concordat cum originalibus.

Aquisgrani, die 22 Decembris 1931

L. S.

† Dr. Sträter, Vic. Gen.

---

## IMPRIMATUR.

Ratisbonæ, die 15 Januarii 1932

Dr. Höcht

Vic. Gen.

# MISSÆ PROPRIÆ DIŒCESIS AQUISGRANENSIS

Die 12 Februarii  
S. BENEDICTI ANIANENSIS  
ABBATIS

## Oratio

**D**eus, qui nos beáti Benedicti Abbátis doctrina et exemplo erudiri voluísti: concéde propítius; ut quod te donánte promísimus, ejúsdem patrocinio adimplére valeámus. Per Dóminum nostrum.

## Secreta

**S**acris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Benedic-tus Abbas, quæsumus, in salútem nobis proveníre depóscat. Per Dóminum nostrum.

## Postcommunio

**P**rótegat nos, Dómine, cum tui perceptióne sacraménti beátoru-s Benedictus Abbas, pro nobis intercedéndo: ut et conversatiónis ejus experiámur insignia, et intercessi- nis percipiámus suffrágia. Per Dóminum nostrum.

Die 15 Martii

S. CLEMENTIS MARLÆ HOF- BAUER CONFESSORIS

Missa Justus ut palma, de Communi Conf. non Pont. 2 loco, præter Orationes sequentes:

## Oratio

P

**D**eus, qui beátum Cleméntem Mariam miro fidei róbore et

invictæ constántiæ virtúte decorásti: ejus méritis et exémplis fac nos, quæsumus, ita fortes in fide et caritáte fervéntes; ut præmia consequámur ætérna. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ.

## Secreta

P

**I**lle nos, quæsumus, Dómine, de votiōnis ignis accéndat; quo beá-tus Clemens Maria, dum salutárem offéret hóstiam, júgiter flagrávit. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio Feriæ.

## Postcommunio

P

**C**ælesti pane reféctis concéde no-bis, omnipotens Deus: ut beáti Cleméntis exemplo, in fortitúdine cibi illius usque ad montem, qui Christus est, feliciter perveniámus: Qui tecum vivit et regnat.

Et fit Commemoratio Feriæ ac legitur ejus Evangelium in fine.

Die 7 Aprilis  
B. HERMANNI JOSEPHI  
CONFESSORIS

## Introitus Ps. 36, 30-31

**O**s justi meditábitur sapién-tiam, et lingua ejus loqué-tur judicium: lex Dei ejus in corde ipsius. (T. P. Allelúja, allelúja.) Ps. ibid., 1 Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem. V. Glória Patri.

**Oratio**

**D**eus, qui beátum Hermánnum Joséphum Confessórem tuum in benedictiōnibus dulcēdinis a pueritiae prævenisti: præsta, quæsumus; ut innocéntis et sanctæ vitæ ejus vestigiis insistentes, ad cælestem pátriam, in qua gloriósus exsultat, secúri perveniámus. Per Dóminum.

**Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ.**

Léctio libri Sapiéntiæ

**Eccli. 31, 8-11**

**B**éatus vir, qui invéntus est sine mácula, et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória ætérna: qui pótuit tránsgressus: fácere mala, et non fecit: ídeo stabilita sunt bona illius in Dómino, et eleemosynas illius enarrábit omnis ecclésia sanctórum.

**Graduale Ps. 91, 13 et 14** Justus ut palma florébit: sicut cedrus Libani multiplicábitur in domo Dómini. **V. Ibid., 3** Ad annuntiandum manne misericórdiam tuam, et veritatem tuam per noctem.

**Tractus Ps. 111, 1-3** Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandatis ejus cupit nimis. **V.** Potens in terra erit semen ejus: generatio rectórum benedicétur. **V.** Glória et divitiæ in domo ejus: et justitia ejus manet in sǽculum sǽculi.

**Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:**

Allelúja, allelúja. **V. Jac. 1, 12**  
Beátus vir, qui suffert tentatiōnem: quóniam, cum probátus fúerit, accipiet corónam vitæ. Allelúja. **V. Eccli. 45, 9** Amávit eum Dóminus et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum. Allelúja.

**+** Sequéntia sancti Evangélii secundum Matthæum

**Matth. 11, 25-30**

**I**n illo témpore: Respóndens Jesus, dixit: Confiteor tibi, Pater, Dómine cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea pár vulis. Ita, Pater: quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo. Et nemo novit Fílium nisi Pater: neque Patrem quis novit nisi Fílius, et cui voluerit Fílius revelare. Venite ad me, omnes, qui laboráti et oneráti estis, et ego reficiam vos. Tóllite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et húmilis corde: et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum enim meum suáve est et onus meum leve.

**Offertorium Ps. 88, 25** Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus. (**T. P.** Allelúja.)

**Secreta**

**L**audis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemo ratione Sanctórum: quibus nos et præsentibus éxui malis confidimus et futúris. Per Dóminum.

**Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ.**

**Communio Matth. 24, 46-47** Beatus servus, quem, cum vénérerit dómīnus, invénerit vigilántem: amen, di-  
co vobis, super ómnia bona sua con-  
stituet eum. (T. P. Allelúja.)

### Postcommunio

**R**efécti cibo potúque cælesti, Deus noster, te súpplices exorá-  
mus: ut, in cuius hæc commemora-  
tione percépimus, ejus muniámur et  
précibus. Per Dóminum.

**Et, in Quadrag., fit Com. Feriæ ac  
legitur ejus Evangelium in fine.**

Die 27 Aprilis

S. PETRI CANISII  
CONFESSORIS ET ECCLESIAE  
DOCTORIS

**Missa ut in Missali hac die.**

Die 13 Maji

S. SERVATII  
EPISCOPI ET CONFESSORIS

**Missa Sacerdótes tui, de Communi  
Conf. Pont. 2 loco, præter Ora-  
tionem sequentem:**

### Oratio

P

**D**eus, qui dedísti pôpulo tuo  
sanctum Servátium prædicá-  
torem: concéde, quæsumus; ut tanti  
Pontificis intercessióne ab ómnibus  
ubique liberémur advérsis, et tran-  
quilla prosperitaté in tua laude læ-  
témur. Per Dóminum.

### Secreta

C

**S**ancti Servátii Confessóris tui at-  
que Pontificis, quæsumus, Dó-  
mine, ánnua solémnitas pietati tuæ  
nos reddat accéptos: ut, per hæc  
piæ placatiónis officia, et illum beá-  
ta retribútio comítetur, et nobis grá-

tiæ tuæ dona concíliet. Per Dómi-  
num nostrum.

### Postcommunio

C

**D**eus, fidélium remunerátor ani-  
márum: præsta; ut beáti Ser-  
vátii Confessóris tui atque Pontifi-  
cis, cujus venerándam celebrámus  
festivitatē, précibus indulgéntiam  
consequámur. Per Dóminum no-  
strum.

Die 5 Junii

S. BONIFATII EP. ET MART.

**Missa ut in Missali hac die.**

Die 12 Junii

S. LEONIS III PAPÆ, CONF.

### Oratio

**D**eus, qui beátm Leónem Con-  
fessórem tuum atque Pontífi-  
cem virtúte constántiæ in exercéndo  
pastoráli múnere contra sæculi po-  
testátes roborásti: tribue, quæsu-  
mus, nobis fámulis tuis; et ejus apud  
te intercessiōníbus adjuvári et ab  
omni hóstium impugnatíone defé-  
ndi. (Per Dóminum.)

**Deinde fit Commemoratio Ss. Ba-  
silidis, Cyrini, Naboris et Nazarii  
Martyrum:**

### Oratio

**S**anctórum Mártyrum tuórum  
Basilidis, Cyríni, Náboris at-  
que Nazárii, quæsumus, Dómine,  
natalítia nobis votiva respléndeant:  
et, quod illis cónculit excelléntia  
sempitérna, fructibus nostræ devo-  
tiónis accréscat. Per Dóminum no-  
strum.

**Secreta**

**S**ancti tui, quæsumus, Dómine, nos ubique lætificant: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. (Per Dóminum nostrum.)

**Pro Ss. Martyribus****Secreta**

**P**ro sanctórum tuórum Basílidis, Cyrini, Náboris atque Nazárii sanguine venerando, hóstias tibi, Dómine, solémniter immolámus, tua mirabilia pertractántes: per quem talis est perfécta victória. Per Dóminum nostrum.

**Postcommunio**

**P**ræsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Leóne Confessóre tuo atque Pontífice, beneficia potióra sumámus. (Per Dóminum.)

**Pro Ss. Martyribus****Postcommunio**

**S**emper, Dómine, sanctórum Mártyrum tuórum Basílidis, Cyrini, Náboris atque Nazárii solémnia celebrántes: præsta, quæsumus; ut eórum patrocínia júgiter sentiámus. Per Dóminum.

**Die 15 Julii****S. HENRICI****IMPERATORIS, CONF.**

**Missa ut in Missali hac die.**

**Die 17 Julii****DEDICATIO ECCLESIAE  
CATHEDRALIS**

**Omnia ut in Missali in Communi  
Dedicationis Ecclesiæ.**

**Et, in Missis privatis tantum, fit  
Commemoratio S. Alexii Conf., ut  
in Missali hac die.**

**Die 18 Julii****S. ARNOLDI CONFESSORIS****Oratio**

**O**mnipotens sempitérne Deus, cuius desiderábilis aspéctus lætificat omnes Sanctos: concéde propítius; ut intercedénte sancto Arnólido Confessóre tuo sic per grátiam tuam reficiámur in via, quátenus aliquando vultus tui claritaté læti perfruámur in cælis. (Per Dóminum nostrum.)

**Deinde fit Commemoratio Ss.  
Symphorosæ et septem Filiorum  
eius Mm.:**

**Oratio**

**D**eus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Symphorosæ et filiorum ejus natalitia cólere: da nobis in ætérrna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum nostrum.

**Secreta**

**P**ræsta nobis, quæsumus, omnípotens Deus: ut nostræ humiliatíris oblátio et pro tuórum tibi grata sit honóre Sanctórum, et nos córpore páriter et mente puríficet. (Per Dóminum nostrum.)

**Pro Ss. Symphorosa et septem Filiis ejus Secreta**

**M**únera tibi, Dómine, nostræ de votiónis offérimus: quæ et pro tuórum tibi grata sint honóre Justórum, et nobis salutária, te misérante, reddántur. Per Dóminum.

**Postcommunio**

**Q**uæsumus, omnípotens Deus: ut, qui cælestia aliménta percépimus, intercedénte beáto Arnólido Confessóre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. (Per Dóminum nostrum.)

**Pro Ss. Symphorosa et septem Filiis ejus Postcommunio**

**P**ræsta nobis, quæsumus, Dómine: intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Symphorósa et fíliis ejus; ut, quod ore contingimus, pura mente capiámus. Per Dóminum nostrum.

Die 21 Julii

**DE V DIE INFRA OCTAVAM  
DEDICATIONIS ECCLESIÆ  
CATHEDRALIS**

**Missa ut in Festo.**

**Et fit Commemoratio S. Praxedis Virg., ut in Missali hac die. 3<sup>a</sup> Oratio Concéde.**

Die 24 Julii

**IN OCTAVA DEDICATIONIS  
ECCLESIÆ CATHEDRALIS**

**Missa ut in Festo.**

**Et fit Commemoratio Vigiliæ S. Jacobi Ap. et S. Christinæ Virg. et Mart., ut in Missali hac die, ac legitur Evangelium Vigiliæ in fine.**

Die 15 Augusti

**IN ASSUMPTIONE B. M. V.  
PATRONÆ PRINCIPALIS  
DICECESIS AQUISGRANEN.  
Omnia ut in Missali.**

Die 17 Septembris

**S. LAMBERTI EP. ET MART.**

**Oratio**

**I**nfirmitátem nostram réspice, omnípotens Deus: et, quia pondus própriæ actiōnis gravat, beáti Lambérti Mártiris tui atque Pontificis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum nostrum.

**Secreta**

**H**óstias tibi, Dómine, beáti Lambérti Mártiris tui atque Pontificis dicátas méritis, benignus assúme: et ad perpétuum nobis tribue provenire subsídium. Per Dóminum nostrum.

**Postcommunio**

**R**efécti participatiōne múnneris sacri, quæsumus, Dómine, Deus noster: ut, cuius exséquimur cultum, intercedénte beáto Lambérto Mártire tuo atque Pontifice, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

Die 30 Septembris

**S. LEOPARDI MARTYRIS**

**Oratio**

**P**ræsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, intercedénte beáto Leopárdo Mártire tuo, et a cunctis adversitatibus liberémur in córpo re, et a pravis cogitatiōnibus mundémur in mente. Per Dóminum.

**Secreta**

**A**ccépta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: et ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cuius solemnítáte defértur. Per Dóminum nostrum.

**Postcommunio**

**R**efécti participatióne múnéris sacri, quæsumus, Dómine, Deus noster: ut, cuius exséquimur cultum, intercedénte beáto Leopárdo Mártyre tuo, sentiámus efféctum. Per Dóminum nostrum.

**Die 23 Octobris**

**S. SEVERINI EP. ET CONF.**

**Missa** Státuit, **de Communi Conf.**  
**Pont. 1 loco, præter Orationes se-**  
**quentes:**

**Oratio**

P

**D**eus, qui venerándam hujus diéi solemnítátem in honóre sancti Severíni Confessóris tui atque Pontificis consecrásti: adéstō familiæ tuæ précibus, et dona; ut, cuius festa célebrat, méritis et auxilio sublevétur. Per Dóminum.

**Secreta**

P

**M**únera, quæsumus, Dómine, tuæ majestáti propósita, beáti Severíni Confessóris tui atque Pontificis intervéntu benignus assúme. Per Dóminum nostrum.

**Postcommunio**

P

**S**umpta, Dómine, cælestis remédi sacraménta, ad perpétuam nobis provenire grátiam beátoruſ Severinus Conféssor tuus et Póntifex obtineat. Per Dóminum.

**Die 3 Novembris**

**S. HUBERTI EP. ET CONF.**

**Oratio**

**D**eus, qui perénnem glóriam sancti Hubérti Confessóris tui atque Pontificis ánimæ contulisti: tríbue, quæsumus; ejus nos apud te ita patrocíniis adjuvári, ut cum eo vitam possideámus ætérnam. (Per Dóminum nostrum.)

**Secreta**

**H**æc hóstia, quæsumus, Dómine, quam in sancti Hubérti Confessóris tui atque Pontificis solemnítáte tibi offérimus, ejus suffragántibus méritis, et vincula peccatórum nostrorum absolvat, et ætérnæ beatitúdinis participes efficiat. (Per Dóminum nostrum.)

**Postcommunio**

**B**eați Confessóris tui atque Pontificis Hubérti interventione suffulti: súpplices te, Dómine, deprecámur; ut quod ore contingimus, pura mente capiámus. (Per Dóminum nostrum.)

**Die 13 Novembris**

**In Ecclesiis consecratis, excepta**  
**Cathedrali:**

**DEDICATI**O  
PROPRIÆ ECCLESIÆ

**Omnia ut in Missali in Communi**  
**Dedicationis Ecclesiae.**

**Et, in Missis privatis tantum, fit**  
**Commemoratio S. Didaci Conf., ut**  
**in Missali hac die.**

Die 16 Novembris

In Ecclesiis, ut supra:

**DE IV DIE INFRA OCTAVAM  
DEDICATIONIS  
PROPRIÆ ECCLESIÆ**

Missa ut in Festo. 2<sup>a</sup> Oratio Concedé, 3<sup>a</sup> contra persecutores Ecclesiæ vel pro Papa.

Die 20 Novembris

In Ecclesiis, ut supra:

**IN OCTAVA DEDICATIONIS  
PROPRIÆ ECCLESIÆ**

Missa ut in Festo.

Et fit Commemoratio S. Felicis de Valois Confessoris, ut in Missali hac die.

### INDEX ALPHABETICUS

	pag.		pag.
Arnoldi Confessoris. 18 Julii . . . . .	6*	Henrici Imperatoris, Confessoris. 15 Julii . . . . .	6*
Benedicti Anianensis Abbatis. 12 Februarii . . . . .	3*	Hermannii Josephi Confessoris. 7 Aprilis . . . . .	3*
Bonifatii Episcopi et Martyris. 5 Junii . . . . .	5*	Huberti Ep. et Conf. 3 Novembris . . . . .	8*
Clementis Mariæ Hofbauer Confessoris. 15 Martii	3*	Lamberti Ep. et Mart. 17 Sept. . . . .	7*
Dedicatio Ecclesiæ Cathedralis. 17 Julii . . . . .	6*	Leonis III Papæ et Confessoris. 12 Junii . . . . .	5*
— De V die infra Octavam. 21 Julii . . . . .	7*	Leopardi Martyris. 30 Septembris . . . . .	7*
— Octava. 24 Julii . . . . .	7*	Mariae B. V. Assumptio. 15 Augusti . . . . .	7*
Dedicatio propriae Ecclesiæ. 13 Novembris . . . . .	8*	Petri Canisii Confessoris et Eccl. Doct. 27 Aprilis	5*
— De IV die infra Octavam. 16 Novembris . . . . .	9*	Servatii Ep. et Conf. 13 Maii . . . . .	5*
— Octava. 20 Novembris . . . . .	9*	Severini Ep. et Conf. 23 Octobris . . . . .	8*

# SUPPLEMENTUM

In Civitate tantum Aquisgranensi:

Die 28 Januarii

\*S. CAROLI MAGNI  
IMPERATORIS ET CONF.  
CIVITATIS AQUISGRANEN-  
SIS PATRONI PRINCIPALIS

Introitus Ps. 36, 30-31

**O**S justi meditabitur sapiéntiam, et lingua ejus loquéatur judicium: lex Dei ejus in corde ipsius. **Ps. ibid., 1** Noli aemulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

**V.** Glória Patri.

## Oratio

**O**mnipotens et misericors Deus, qui a glória tua nullam exclúdis condiciónem, te suppliciter exorámus, ut, sicut beáto Cárolo Confessóri tuo post terréni culmen cælestis regni sólum contulísti: ita méritis ejus et prémibus nobis quoque fámulis tuis, ætérnæ felicitatis præmia largiáris. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ

**Sap. 10, 10-14**

**J**ustum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illius. In fraude circumveniéntium illum áffuit illi, et honéstum fecit illum. Custodi-

vit illum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, et certámen forte dedit illi, ut vinceret et sciret, quóniam ómnium poténtior est sapiéntia. Hæc vénditum justum non dereliquit, sed a peccatóribus liberávit eum: descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non dereliquit illum, donec afférret illi sceptrum regni, et poténtiam advérsus eos, qui eum deprimébant: et mendáces osténdit, qui maculavérunt illum, et dedit illi claritátem ætérnam, Dóminus, Deus noster.

**Graduale Ps. 91, 13 et 14** Justus ut palma florébit: sicut cedrus Libani multiplicábitur in domo Dómini. **V. Ibid., 3** Ad annuntiandum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja. **V. Jac. 1, 12** Beátus vir, qui suffert tentatiómem: quóniam, cum probátus fúerit, accipiet corónam vitæ. Allelúja.

**Post Septuagesimam, omissis Al-**  
**lelúja et Versu sequenti, dicitur**

**Tractus Ps. 111, 1-3** Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. **V.** Potens in terra erit semen ejus: generátió rectórum benedicétur. **V.** Glória et divitiæ in domo ejus: et justitia ejus manet in sǽculum sǽculi.

**Sequentia**

**U**rbs Aquénsis, urbs regális,  
Regni sedes principális,  
Prima regum cùria.  
Regi Regum pange laudes,  
Quæ de magni regis gaudes  
Cároli præséntia.

**I**ste cœtus psallat lætus,  
Psallat chorus hic sonórus  
Vocáli concórdia;  
At dum manus operátur  
Bonum, quod cor meditátur  
Dulcis est psalmódia.

**H**ic est magnus imperátor  
Boni fructus bonus sator  
Et prudens agrícola;  
Infidéles hic convértit,  
Fana, deos hic evértit  
Et confríngit idóla.

**H**ic supérbos domat reges,  
Hic domáre sacras leges  
Facit cum justitia,  
Quam tuétur eo fine,  
Ut et justus sed nec sine  
Sit misericórdia.

**S**tella maris, o María,  
Mundi salus, vitæ via,  
Vacillántum rege gressus  
Et ad regem des accéssus  
In perénni glória.

**C**hriste, splendor Dei Patris,  
Incorrúptæ fili Matris,  
Per hunc sanctum, cuius festa  
Celebrámus, nobis præsta  
Sempitérna gáudia. Amen.

**E**t dicitur hac in die et in die Octava; infra Octavam tamen ad libitum Celebrantis.

**S**equéntia sancti Evangélii secundum Lucam

**Luc. 19, 12-26**

**I**n illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábola hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in régionem longinquam accipere sibi regnum, et revérti. Vocátis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos: Negotiámini, dum vénio. Cives autem ejus óderant eum: et misérunt legatióne post illum, dicéntes: Nólumus hunc regnare super nos. Et factum est, ut redíret accépto regno: et jussit vocári servos, quibus dedit pecúniam, ut sciret, quantum quisque negotiátus esset. Venit autem primus, dicens: Dómine, mna tua decem mnas acquisívit. Et ait illi: Euge, bone serve, quia in módico fuísti fidélis, eris potestátem habens super decem civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, ecce mna tua, quam hábui repósitam in sudário: tímui enim te, quia homo austérus es: tollis, quod non posuísti, et metis, quod non seminásti. Dicit ei: De ore tuo te júdico, serve nequam. Sciébas, quod ego homo austérus sum, tollens, quod non pó-sui, et metens, quod non seminávi: et quare non dedísti pecúniam meam ad mensam, ut ego véniens cum usúris útique exegíssem illam? Et astántibus dixit: Auférte ab illo mnam et date illi, qui decem mnas habet. Et dixerunt ei: Dómine, ha-bet decem mnas. Dico autem vobis:

Quia omni habénti dábitur, et abundábit: ab eo autem, qui non habet, et, quod habet, auferétur ab eo.

**Credo, per totam Octavam.**

**Offertorium Ps. 88, 25** Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

**Secreta**

**P**ræsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, sicut beátus Cárolus Conféssor tuus Regi Christo placére stúduit; ita ejus oráto nos tibi reddat accéptos. Per eúndem Dóminum nostrum.

**Communio Matth. 24, 46-47** Beá-tus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen, di-co vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

**Postcommunio**

**D**eus, qui beátum Confessórem tuum Cárolum mirificásti in

terris, et gloriósum in cælis fecísti: eúndem Ecclésiæ tuæ constitue defensórem. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Die 3 Februarii

**DE VII DIE INFRA OCTAVAM  
S. CAROLI MAGNI  
IMPERATORIS ET CONF.**

**Missa ut in Festo.**

**Et fit Commemoratio S. Blasii Ep.  
et Mart., ut in Missali hac die. 3<sup>a</sup>  
Oratio Concéde.**

Die 4 Februarii

**IN OCTAVA  
S. CAROLI MAGNI  
IMPERATORIS ET CONF.**

**Missa ut in Festo.**

**Et fit Com. S. Andreæ Corsini Ep.  
et Conf., ut in Missali hac die.**

**INDEX SUPPLEMENTI**

	pag.
Caroli Magni Imp. et Conf., Civitatis Aquisgranensis Patroni principalis. 28 Januarii . . . . .	10*
— De VII die infra Octavam. 3 Februarii . . . . .	12*
— Octava. 4 Februarii . . . . .	12*